

lia per apertam rei demonstrationem. No-
bis satis est scire, fuisse ei sarcanum illud
indicatum, quod hic appellatur mysterium.
Quæstiones iuuitiles quantum va-
leo, euito. Ea quæ sunt obscura, abstrusa,
explicata difficilia, appellatur mysteria.
Vnde quæ atinent ad generis humani li-
berationem per Christum Deum nostrum,
cuiusmodi sunt eius e cœli fastigio de-
scensus, humanæ naturæ assumptio, vir-
tus crucis, & alia huiusmodi appellamus
mysteria redemptionis humanæ. Imò
corporum reditus ad vitam, euangelica
prædicatio, & Christi doctrina mysteria
dicuntur. Discipulis suis dixit Christus in
euangelio: Vobis datum est nosse myste-
ria regni cœlorum, illis non est. Et aposto-
lus capite secundo epistolæ prioris ad Co-
rinthios Christum appellat absconditum
in mysterio, quia erat eius diuinitas in
eius humanitate abscondita dicens: Lo-
quimur Dei sapientiam in mysterio, quæ
abscondita est. Dei sapientia est filius eius
ob mysterium incarnationis absconditus
in natura humana, de quo dixit Esaias ca-
pite 45. Verè tu es Deus absconditus. Se-
uerianus tamen in illo apostoli loco per
mysterium intelligit prædicationem secu-
dum Christum. In eadem epistola: Ecce,
inquit apostolus, mysterium vobis dico:
Omnes quidem resurgemus, sed nõ omnes
immutabimur. Et capite sexto ad
Ephesios vocat mysterium euangelij id,
quod prædicabat. Hæc mysteria seculi
sapientibus, qui opinionibus inflati in va-
nitatibus & erroribus versabantur, inco-
gnita, indicauit Deus viris piis & humi-
libus, iuxta id quod ait Christus dominus
capite vndecimo Matthæi: Confiteor ti-
bi pater, domine cœli & terræ, quia ab-
scondisti hæc à sapientibus & prudenti-
bus, & reuelasti ea paruulis. His ostendit-
ur cœlestia, qui in Christo cogitationem
suam figunt, ex eo pendunt, & in eo con-
quiescunt: Id voluit diuina scriptura si-
gnificare capite vigesimo octauo Gene-
sis, vbi ait, tunc Iacob vidisse scalam ab imo
terræ ad cœli fastigium productam, cum
dormiens haberet caput super petram.
Quid per caput nisi mens: & quid per pe-

tram nisi Christus significatur? De eo
ait capite decimo prioris ad Corinthios
apostolus: Petra autem erat Christus.
Constituamus mentem super Christum,
conferamus in eum omnes nostras cogi-
tationes, quiescamus in illo, humiliter
de nobis sentiamus, & ita nobis ar-
cana cœlestia pandentur. Sed opus est,
vt ad preces fundendas cum Daniele no-
stro confugiamus.

¶ *Et benedixit Daniel Deum cali.* Hoc
est, laudauit Deum verum, eique gratias
egit pro accepto beneficio. Deum cœli
eum vocat ad differētiam idolorum, qui
non in cœlo, sed in terra coluntur. Vel
Deum cœli, vt subaudias creatorem. Vel
Deum habitatorem cœli. Quamquam
Deum vbi que sit, in cœlo tamen singulari
quodam modo esse dicitur, iuxta id quod
ipse ait apud Esaiam capite 66. Cœlum se-
des mea est. Loquens Moses cum Deo
aiebat capite 26. Deuteronomij: Respice
de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum
habaculo. Et Dauid Psalmo secundo:
Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Hunc
Deum qui habitat in cœlis, benedixit Dani-
el. Benedicere si referatur ad Deum,
vt ipse homines benedicat, idem est quod
amplificare, & diuitias, secunditatem, ac
bona largiri: Vt Genesis primo: Masculū
& feminam creauit eos, benedixitque il-
lis, & ait: crescite, & multiplicamini. Et
Genesis 12. dixit Deus Abrahæ: Faciā te
in gentem magnam, & benedicam tibi, &
magnificabo nomen tuum. Et Genes. 26.
Benedixit ei dominus, & locupletatus est.
Et apostolus 1. ad Ephes. Benedixit nos
in omni benedictione spiritali. Cū apud
Deum idem sit dicere quod facere, ipse
dixit, & facta sunt, consequens est, vt idē
sit apud illum benedicere & benefacere.
Si autē benedicere referatur ad homines
erga homine, idem est quod bene preca-
ri, bene optare, & implorare, vt res illis
faustè feliciterque eueniant. Capite 24. Ge-
nesis vbi nos habemus: Dimiserunt Re-
beccam, & nutricem eius Deborah, ser-
uumque Abraham, & comites eius, impre-
cantes, prospera sorori suæ. Pro imprecan-
tes prospera, est in Hebræo benedicientes.

1. Cori.
10.

Eia. 66.

Deu. 26

Psal. 2.

Gene. 1.

Gen. 12.

Gen. 26.

Ephes. 1

Psal. 32.

Gen. 24

Gen. 27

Eodem

Mat. 15.
Mar. 4.
Luc. 8.
1. Cor. 2

Esa. 45.

Seueria.

1. Cori.
15.

Ephes. 6.

Mat. 11.

Gen. 28